

nio cum subdito non petente, imo de se repugnante, et illi præcipere ut non jejnet. Non est ergo necessaria simpliciter acceptatio partis ad dispensationem; ergo neque est necessaria ad effectum privilegii includentis dispensationem, quale est omne illud quod onus tantum aufert. Est autem hoc evidentius in privilegio auferente onus tantum pœnale, quod potest conferre fructum sine periculo conscientiae, quia tunc non solum repugnantia, verum etiam indecentia ostendi non potest in tali privilegio. Ergo non est extra potestatem principis concedentis. Quando vero effectus privilegii conjunctus est cum periculo conscientiae subditi, tunc videri quidem potest esse supra potestatem, quia non est ad destructionem, sed ad ædificationem. Verumtamen etiam tunc forte non ita deest, ut factum non teneat, sed solum ne licite fiat, quia illud periculum non est per se, sed ex malitia abutentis privilegio. Vel certe, licet demus ibi deesse potestatem, non est per se ex ratione privilegii, sed per occasionem adjunctam. Adde etiam tunc non esse necessariam acceptationem privilegii, sed ad summum notitiam, ut in sequentibus explicabo.

13. *Probatur secundo.* — Præterea in privilegiis concedentibus jus vel potestatem aliquam, Bart. et alii allegati in tertia opinione admittunt, saltem mediante lege vel statuto, posse principem hoc facere. Difficultates autem ibi objectæ ostendunt non esse majorem repugnantiam in privilegiis privatis quæ per rescripta conceduntur, quod attinet ad potestatem concedentis. Præcipua vero ratio, vel summa omnium, est quia, si in his esset necessaria notitia privilegii ad assecutionem ejus, maxime propter acceptationem; hæc autem necessitas eadem est in privilegiis ejusdem rationis datis per legem; vel si non repugnat dari, ante acceptationem et notitiam, per legem, neque alio modo repugnabit, quia nulla ratio repugnantiae assignari potest, quidquid sit de voluntate principis, an magis uno modo ostendatur quam alio, quod infra videbimus. Præterea hoc videtur certum quoad notitiam privilegii, quando tale privilegium conceditur ad petitionem privilegiantis absentis, per epistolam, vel nuntium, seu procuratorem, quia ibi non deest acceptatio, saltem per alium, quæ in donationibus et aliis humanis contractibus sufficit, ut constat; ergo etiam in privilegiis sufficit, ut recte dicebat sexta opinio, quæ non solum de

possibili, sed etiam de facto admittit hanc partem in omnibus privilegiis per procuratorem obtentis, propter dictam rationem. Unde consequenter inferri non esse necessariam notitiam privilegii, quia hæc maxime postulatur propter acceptationem. De qua illatione ad factum applicata infra dicam; nunc vero saltem de potestate videtur optima, quia privilegium non requirit ut ille cui datur, per se illud acceptet; ergo acceptare illud potest per alium; ergo statim potest illud obtinere ante notitiam concessionis factæ; ergo in concedente non deest potestas, nec reddi potest ratio cur talis notitia necessaria sit.

14. *Probatur tertio.* — Denique generalius probatur, etiam in privilegiis concessivis, non esse ita necessariam acceptationem, etiam per alium, quin sit in principe potestas ad conferendum illa cum effectu, motu proprio et statim, antequam ad notitiam privilegii deveniat. Primo, quia ad acquirendum commodum ex natura rei, videtur sufficere generalis voluntas formalis vel virtualis, quam omnes homines habent, acceptandi quidquid sibi est commodum, et moralis præsumptio, quæ interdum est maxima: ergo, in rigore, hæc sufficit ut princeps supremus sua voluntate efficaci, et suprema potestate, conferat privilegium cum effectu alicui non petenti, nec cogitanti de illo. Secundo explicatur hoc amplius; nam, licet in promissionibus et donationibus humanis, ut habeant effectum et obligationem inducant, regulariter sit necessaria acceptatio, ut nunc suppono, tamen non est hoc tam intrinsece necessarium ex jure naturæ, quin virtute legis humanæ possit interdum sequi effectus, vel oriri obligatio, etiam ante acceptationem, ut de legato supra dicebamus, et de donatione vel promissione facta absenti, si promittens vel donans moriatur antequam alter possit acceptare, multi tenent, et de promissionibus humanis causa pietatis vel boni publici aliqua jura disponunt, ut videri potest in Covarr. 4 Var., cap. 14, n. 16; Molin., 2 t. de Just., disp. 263; et latius Tiraq., de Privileg. piæ causæ, priv. 116; et Felin. in cap. 1 de Pactis, n. 7; et de infante, est certum donationem illi factam, esse ratam sine ulla acceptatione, ex l. *Jubemus*, cap. de Emanc. lib., et aliis quæ refert Sanc. l. 4 de Matr., disp. 6, n. 15 et 27; ergo majori ratione potest princeps concedens privilegium facere validam concessionem privilegii et efficacem, si velit, absque dependentia ab acceptatione alterius. Hoc etiam confirmant exempla ad-

ducta in secunda sententia, licet certa non sint; illis tamen admissis, ad summum probant potestatem ex facto aliquo in casu speciali, ex quo non licet inferre generalem regulam de privilegiis, prout de facto conceduntur, quia ex particularibus factis non fit recta argumentatio universalis. Potestas autem colligitur, saltem ubi justa causa intervenit. Proceduntque dicta exempla et rationes non tantum de jure ad rem, sed etiam de jure in re, quamvis revocabili seu renuntabili per privilegiiarium, cum primum ad notitiam ejus devenerit, sicut de legatario dicitur, post aditam ab hærede hæreditatem. Et hæc magis in sequenti assertione explicabuntur.

15. *Regulariter non conceditur privilegium ad operandum suum effectum, ante notitiam aliquam privilegiiarii.* — Dico ergo secundo: privilegia non ita regulariter conceduntur ut effectum privilegii directè conferant ante notitiam, vel acceptationem, saltem per procuratorem vel epistolam. Ita interpretor primam opinionem, quam sequor. Et probo, quia intentio concedentis regulariter talis non est, nec verba privilegiorum hoc indicant, nec, moraliter loquendo, expedit taliter privilegia concedi: ergo de facto non ita fit, licet potestas non desit. Consequentia clara est. Prima autem pars antecedentis pendet ex aliis duabus, secunda vero ad factum spectat, illud autem etiam pendet ex ultimo membro; nam si ille modus concedendi privilegium moraliter non expedit, profecto admittendus non est in aliquo privilegio, nisi verba omnino cogant, ita ut alium sensum habere non possint; vix autem ostenditur privilegium habens talia verba, et nos affirmare possumus nunquam vidisse, etiamsi multa viderimus; et certe tot auctores qui negant hanc efficaciam privilegiis, satis significant regulariter non vidisse privilegia quæ haberent verba significantia talem voluntatem concedentis; ergo merito dicere possumus verba privilegiorum regulariter hoc non indicare. Hæc vero pars simul cum tertia melius ostendetur, discurrendo per privilegia juxta particulares opiniones recitatas.

16. *Probatur dicta doctrina circa privilegium concessum per legem vel statutum.* — An valeat absolutio data a privilegiato nesciente privilegium. — Et primo, circa privilegium concessum per legem vel statutum, adverto, ad effectum talis privilegii, imprimis necessarium esse ut talis lex sit sufficienter promul-

gata, juxta dicta in priori parte hujus capituli, quia talis lex et privilegium ejus in communi et pro aliqua communitate ferri debet, alioquin non magis erit lex quam cætera privata privilegia: lex autem communis et generaliter lata, ante promulgationem nondum est vera lex, et consequenter nullum effectum legis etiam privilegiativum habere potest: unde etiam si ante promulgationem haberet quis notitiam talis legis, et effectum ejus desideraret, non posset illo gaudere. Facta autem promulgatione, datur notitia publica legis, et consequenter etiam privilegii; et similiter est acceptatio communis et publica, eo ipso quod per totam communitatem non est publice et sufficienter renuntiatum legi ac privilegio, ut nunc supponimus. Ergo jam tale privilegium non habet suum effectum sine notitia, et acceptatione per se requisita, ut sic dicam. Per accidens autem contingere potest ut privata persona, quæ sit pars communitatis cui per se primo privilegium conceditur, ignoret illud, ut sæpe contingere potest in religiosis, et tunc verum est ignorantiam per se non impedire effectum privilegii, quia jam illud est acceptatum, et non pendet ex privata notitia particularis personæ. Dico autem *per se non impedire effectum*, quia per accidens potest impedire aliquid quod pendet ex conscientia operantis; ut, verbi gratia, si religiosus habeat privilegium suæ religioni concessum ad absolvendum ab aliquo casu reservato, et ignorando privilegium absolvat temere a tali casu, non excusatur a gravi peccato, quia hoc pendet ex conscientia, et conscientia pendet a notitia privilegii.

17. Imo, grave dubium est an talis absolutio valeat, quia, juxta regulam juristarum, quamdiu quis ignorat jurisdictionem se habere, non valet quod agit; nam usus jurisdictionis non conceditur ignoranti, ut sumitur ex l. *Hæc autem*, § *Non defendi*, ibi: *Debet constare Prætori*, ff. Quib. ex caus. in posses.; et tradit Bart. in l. *Multum*, ff. de Condit. et demonstr., num. 2, et in l. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætor., in repet., n. 18; quæ potius est Baldi, ibid., lect. 2, n. 27 et 28; et Felin., in cap. *Ecclesia*, verb. *Decimo*, n. 14 de Const., ubi plures allegat; et alios refert Vanti., tract. de Nullit., tit. de Nullit. ex defectu jur., n. 35 et 167; Sanc., l. 3 de Matrim., disp. 36, n. 8; ergo si hoc principium etiam in foro pœnitentiæ locum habet, talis absolutio non erit valida. Eritque ratio specialis, quia est privilegium concedens jurisdictionem pro tota

religione, et non dat illam, nec applicatur particulari personæ, nisi scienti et acceptanti. Quod quidem maxime procedet, si ille absolvat putans se non habere jurisdictionem, quia tunc vix potest habere intentionem absolvendi; si autem absolvat existimans se habere jurisdictionem, non tamen ex privilegio, sed ex alio errore, ut quia putat casum non esse reservatum, vel quid simile, tunc probabile est absolutionem esse validam, et revera habere privilegium et jurisdictionem, quamvis ignoret in particulari, quia voluntatem generalem habuit gaudendi et utendi privilegiis ordinis, et voluntatem etiam habet absolvendi, et ignorantia privilegii est error valde privatus, qui non excludit privilegium, nec generalem intentionem. Accedit quod principium illud juristarum habet locum in jurisdictione contentiosa, non vero in jurisdictione voluntaria, ut tradit Bald. in Authent. *Matri*, c. Quando mulier tut., etc.; et sequitur Felin. supra in fine, et scholi.; Bart., ubi supra. Similiter clericus conjugatus habens conditiones a jure requisitas, vere gaudet privilegio fori, licet illud ignoret; non excusabitur autem a peccato, non obediendo judici seculari, et ex conscientia erronea resistendo illi, cum id facere non possit intuitu privilegii, cum illud ignoret. Et alia exempla in his generalibus privilegiis facilia sunt.

18. *Privilegia per modum præmii quando habent effectum absque notitia accipientis.* — In legibus autem concedentibus privilegia per modum præmii operis vel laboris subeundi, de quibus Bart. et tertia opinio specialiter loquuntur, oportet advertere imprimis necessarium esse ut verba privilegii contineant donationem ipso facto, et non tantum promissionem de futuro. Quia alias impossibile est ut privilegium statim sit concessum ignorantibus, sed ad summum vel orietur obligatio in principe ad implendum promissum, vel operanti acquireretur jus ad præmium promissum, non vero in re. Sicut enim in legibus penalibus non incurritur statim poena per solam comminationem imposita, nisi lex dicat, *ipso jure*, vel *ipso facto*, ita profecto necessario dicendum est in præmio. Nam, licet favores magis ampliandi sint, non tamen ultravim verborum; verba autem promissiva non significant donationem, nec verbum de futuro significat effectum præsentaneum; licet ergo lex dicat: Qui hoc fecerit, fiet nobilis; aut: Ei promittitur talis immunitas; non fiet nobilis, vel immunitas ipso facto, imo nec, sciens le-

gem, poterit statim sua auctoritate privilegium usurpare, quia ex vi talium verborum ei non conceditur talis facultas. Raro autem (ut existimo) invenietur lex quæ per hujusmodi verba privilegia concedat in præmium futurorum operum. Quamvis probabile sit, si lex dicat de præsentibus: Facienti tale opus concedimus talem immunitatem, vel imperativè: Hoc faciens sit immunis ab oneribus, vel quid simile, hoc satis esse ut privilegium censeatur illi concessum ex vi talis legis.

19. *Dubium. — Responsio.* — Ulterius autem adverto, etiam posita tali lege, dubitari posse an privilegium illud, quoad dominium et omnes effectus suos, acquiratur ipso facto sine notitia et declaratione principis. Sicut enim poena legis, licet ipso facto imponatur, regulariter non mandatur executioni, donec causa ejus authentice declaretur, ita verisimiliter credi potest non esse mentem principis, ut tale privilegium statim usurpetur privata auctoritate, antequam de causa seu de conditione impleta juridice constet per declarationem principis, vel alterius qui ejus potestatem habeat; nam hoc postulat conveniens ratio gubernationis. Nam si uniuscujusque arbitrio et potestati hoc committeretur, infinite fraudes et scandala oriri possent. Satis ergo est quod, ex vi talis legis et operis in ea postulati, acquiratur ex tunc jus ad tale privilegium, ita ut facta juridica declaratione de adimpleto opere in lege requisito, retrahatur declaratio usque ad diem parati operis, et ex tunc percipiat privilegiarius fructus privilegii, quoad fieri possit. Quæ omnia per analogiam ad poenam legis imponentis illam ipso facto dicta sunt; et quæ inter ea spectant ad ampliationem et consecutionem privilegii a die boni operis, a fortiori sequuntur, quia supponitur similitudo verborum, et est excessus in materia favorabili. Quantum ad ea vero quæ spectant ad limitationem, ut est suspensio executionis usque ad juridicam declarationem, in illis respicitur ad bonum commune et convenientem gubernationem, quæ non minus in conferendis præmiis, quam in poenis retribuendis servanda est. Quod si hoc verum est, vix accidere poterit ut sic operans comparet privilegium ante notitiam ejus, quia præcedere debet publica notitia, et declaratio principis de adimpleta causa privilegii; ergo moraliter non potest accidere ut, post talem declarationem, adhuc privilegiarius ignoret legem et præmium seu privilegium ejus. Nihilominus ta-

men in aliquo casu id accidere posset, præsertim propter locorum distantiam, et tunc habere posset locum sententia Bart., et majorem probabilitatem habet quoad jus ad rem, ut, scilicet, adimpleta conditione in lege postulata, statim acquiratur ignorantibus, respectu talis præmii seu privilegii, sicut violator legis poenalis statim fit debitor poenæ, etiamsi illam ignoret, juxta veram sententiam; ergo idem erit cum proportione in lege promittente præmium.

20. *Objectio. — Responsio. — Lex promittens ipso facto, non fundatur in pacto.* — Sed objici potest, nam est magna differentia inter poenam et præmium; nam qui violat legem, ipse fit debitor et reus poenæ, non ex vi alicujus pacti, sed ex vi culpæ, et ideo, si ignorantia non excusat culpam, licet occultet poenam, non impedit reatum ejus. At, respectu præmii, legislator ipse est qui fit debitor ex vi suæ promissionis aut donationis per legem factæ; non potest autem ille fieri debitor, nisi impleatur conditio sub qua promissum. At hæc conditio non videtur impleri ab ignorante: nam ignorans privilegium promissum etiam ignorat promissionem, et pactum; ergo non potest operari ex vi ejus; ergo neque illud implere; ergo non implet conditionem, et consequenter non acquirit jus ad præmium. Hæc vero objectio postulat fusam materiam, quæ non arctatur ad privilegia, sed communis est ad materiam de merito et præmio, ubi latius discutienda est. Nunc vero, consequenter ad sententiam Bart., breviter dici potest: quando lex confert præmium ipso facto, non fundari revera in pacto, sed in absoluta voluntate principis conferendi tale privilegium facienti hoc vel illud; illa enim voluntas non fuit restricta ad facientem cum notitia legis, seu præmii, vel talis voluntatis principis; sed indifferenter posita est sub illa conditione talis operis, abstrahendo a tali scientia, vel ignorantia: quando vero lex sic loquitur promittendo, tunc lex ipsa videtur conferre jus operanti et implenti conditionem, quia non est expressum in ea ut scienter impleatur. Quod jus respectu inferiorum judicum erit justitiæ commutativæ, quia ex officio tenentur secundum leges judicare: respectu vero principis erit saltem distributivæ: nam obligationi ex commutativa videtur obstare objectio facta, nisi dicamus satis esse quod promissio fuerit facta communitati, et quod ab illa fuerit acceptata quando lex promulgata fuit, ut operanti debeatur præmium tanquam membro

communitatis, cujus ignorantia non impedit quominus bonis communibus fruatur.

21. *Aliud dubium. — Responsio.* — Petebatur autem in argumentis factis contra tertiam opinionem, an idem dicendum sit in privilegio seu præmio promisso per transitorium edictum, seu generale rescriptum; et sane videtur, si in cæteris servetur proportio, idem esse dicendum, nam hoc probant rationes ibi factæ. Et declaratur a simili de poena lata per statutum, vel per sententiam generalem ab homine; nam in efficacia inferendi poenam æquiparantur, licet in aliis proprietatibus quæ illis convenire possunt, ut sunt lex permanens, vel præceptum transiens, differant; ita ergo in præsentibus illa duo æquiparantur in modo conferendi privilegium dum durat, licet in ipsa duratione differant. Quando autem edictum non esset generale, sed particulare rescriptum cum obligatione vel promissione privilegii in præmium, posset quidem considerari differentia in generali publicatione et acceptatione, vel privata intimatione. Nihilominus tamen vis verborum eadem est cum proportione, et ideo distinctio illa de privilegio dato per statutum, vel alio modo, mihi necessaria non videtur, magisque conferre posset considerare an privilegium sit concessum vel oblatum communitati, aut privatæ personæ; nam in priori minus videtur impedire ignorantia privatæ personæ, quam in posteriori, loquendo de facto, et secundum communem privilegiorum usum.

22. *Eadem est ratio de privilegio per quod remuneratur opus factum et faciendum.* — Petebatur etiam in eisdem argumentis, an idem sit judicium, quoad præsentem quæestionem, de privilegio per quod remuneratur opus jam factum, et quod datur in præmium futuri operis et quasi sub conditione. Et mihi videtur (quidquid aliqui dicant) eandem esse rationem de utroque, proportione servata. Id enim probare videntur quæ ibi sunt proposita; nam si attendatur potestas, eadem est in principe, ut ostensum est, unde eadem etiam esse poterit voluntas; ergo ex verbis constare debet an sit vel non sit; ergo si in illis servetur proportio, idem etiam erit effectus; quia ex parte recipientis non magis requiritur notitia vel acceptatio in uno casu quam in alio, neque enim ulla ratio differentie assignari potest, quæ satisfaciatur. Denique, si de facto seu de usu loquamur, sicut privilegium remunerativum operis jam facti non solet dari perfecte, ante notitiam et acceptationem reci-